



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

142. Fer. 3. De corpore glorioso, agili, & subtili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Fer. 2. Dom. 3. post Pasch. 247

proportionata sint anima glorioſa, quæ lumine & pulchritudine divinâ dotata ſunt, habent itaque corpora Beatorum pulchritudinem & lucem respondentem gradibus gratiæ; & ſicut moritur vile corpus, ſic lu-minoſum ſurget luce internâ plenum, penetrante carnem, nervos, oſſa, licet opaca ſint, nec tantum erit lucidum, ſed etiam transparentis, diaphanum, & ſimul coloratû, ſicut eſt vitrum coloratum, quod ſimul habet colorem, & transparentiam.

Conf. 3. Si corpus erit glorioſius, quò in hac vita fuerit patientius; & ſi clarius, quò nunc fuerit vilius, quid me prohibere poſſit, ut propoſito tanto gaudio momentaneam tolerantiam, & contemptum non amplectar?

MEDITATIO CXLII.

Feria 3. post Dom. 3. post Pascha

De Corpore glorioſo, agili, & ſubtili.

Aſpiciam Corpus glorioſum, agile, & ſubtile, quibus duabus dotibus actiones corporis perficiuntur, ut anima ſit expedita ad operandum per illud, quidquid vult. Petam eas dotes intelligere, & conſequi.

Conf. 1. Tertiam dotem corporis glorioſi Agilitatem, quæ eſt qualitas motiva ſupernatura-

L 4 natura

naturalis (1. ad Cor. 15. *Seminatur corpus in infirmitate, surget in virtute*) addita qualitati motivæ naturali, dans corpori gravi & debili in motu agilitatem; decet autem animam gratiâ Dominam & Reginam, visione Dei jure beatam, ut habeat plenum dominium supra corpus suum juxta voluntatem ad percurrendum brevi quantumcunque diffusa & distâcia spatia. Quare anima beata primò movebit se ipsam immediate modo Angelico, uniendo se corpori non solum ut forma, sed etiam, ut motor; deinde eodem motûs impetu movebit corpus, & reliqua corpora, nec tantum motu progressivo, & simultaneo, sed insuper velocitati accedet potentia ad movendam & ferendam quantumvis grandem turrim, & montem, denique juxta S. Anselmum poterit Beatus movere, si voluerit, totam molem terræ.

Conf. 2. Quartam corporis gloriosi docet esse subtilitatem. 1. ad Corinth. 15. *Seminatur corpus animale, surget spirituale.* Est subtilitas virtus penetrandi omne corpus sine ejus divisione, & impedimento, sive illa qualitas sit superaddita, sive tantum concurrens Dei præparatus, ut concurrat ad penetrationem, toties, quoties anima voluerit. Debetur autem hæc dos corpori glorioso propter dominium plenum in corpus proprium,

prium, quod non esset plenum, nisi acquireret simul dominium in omnia reliqua corpora inferiora. quò penetrent aliud corpus, seseque in idem spatium immittant, in quo aliud corpus reperitur, & per illud quantumvis densum sine læsione viam faciat.

Cons. 3. Cùm corpus gloriosum futurum sit tantò agilius, quò nunc est modestius, & tantò subtilius, quò nunc est simplicius, spectatâ dote hac geminâ, quomodo possum non esse modestissimus, & simplicissimus.

MEDITATIO CXLIII.

Feria 4. post Dom. 3. post Pascha.

De Corporis gloriosi aureolis.

Videbo præter immarcessibilem gloriæ coronam alias accidentales, quas Aureolas vocant, ex triplici victoria insigni contra inimicos capitales datas Martyribus contra mundum, Doctoribus contra diabolum, Virginibus contra carnem. Petam eas intelligere, & consequi.

Cons. 1. Quomodo præter jucundissimum gaudium de corpore glorioso habeant insuper animæ beatæ Aureolas de actibus heroicis in vita factis, quibus respondent ornamenta distincta à dotibus Corporum beatorum, & ex primis esse Aureolam